

§. II.

De Juramento Veritatis.

245 Juramentum Veritatis describitur, quod sit Religiosa asseveratio, quæ lis, seu res litigiosa, tantum æstimatur, quanti verè est; vel quanti verè actoris interest; vel (quod idem est) juxta legitimum pretium.

246 Hocque Juramentum nec dolum, nec contumaciam requirit; potèstque in omnibus omninò causis, in quibus de æstimatione rei,

expensis, interesse &c. lis movetur, præstari; nec, si prælitum sit, facile de perjurio quaeritur. Textus in *l. sine nostram* 2, §. *un. l. videamus* 4, §. *ult. l. in actionibus* 5, §. *ult. l. cum furri* 9, *l. in instrumentis* 10. *l. uli ff. de in Lit. jur.* Clarissimus D. Franz *cit. l. à num. 55. Ulpianus d. dist. 20. ib. 7. à num. 30. Haunold cit. tr. 4. à num. 1123.*

CAPUT VIII.

De Præsumptionibus.

Quinta Probationis species est Præsumptio. Hujus tanta est amplitudo, tantæque vis, ut nulla sit Probatio, quæ non fundetur in Præsumptione: ideò enim Testes v. g. Instrumenta, vel Juramenta fidem conciliant, quia Præsumitur, ea, quæ per Testes, Instrumenta, vel Juramenta probantur, à veritate non abhorreant, Agemus ergo de Præsumptione, & imprimis ejus Naturam ac multipliciter; tum effectum explorabimus.

SECTIO I.

De Natura & Multiplicitate Præsumptionis.

SUMMARIUM.

1. Etymologia Præsumptionis. 2. & 3. Synonymia.
4. Definitio prima. 5. Definitio secunda. 6. Est conjectura. 7. Ex aliquo verosimili signo. 8. Ad probandum assumpta. 9. & 10. Differentia inter fictionem & Præsumptionem. 11. Præsumptio Hominis inducitur ab homine. 12. Eaque vel est probabilis. 13. Vel vehemens. 14. & 15. Vel violenta. 16. & 17. Defenditur hac
18. Præsumptio Juris inducitur à Jure. 19. Præsumptio Juris tantum est, quæ probationem in contrarium admittit. 20. & seqq. Regula pro dispensanda Juris Præsumptione. 21. Præsumptio Juris & de Jure est, quæ nullam in contrarium admittit Præsumptionem. 30. & seqq. Exempla subjunguntur. 34. Toleranda hæc Præsumptio.

§. I.

Quid sit Præsumptio?

1 Præsumptio est dictio composita ex præpositione præ & verbo sumo; idemque significat, quod ante sumo, vel ante accipio: eò quod iudicium sumamus quandoque de rebus & factis, antequam secundum tenoris innotescent. Gonzalez in *cap. asserit* 2. *b. t. n. 11.*

2 Dicitur aliò nomine nonnunquam iudicium *l. ult. Cod. de Probat. ad miniculum l. instrumenta* 5. *Cod. eod. suspicio cap. literas vestras* 14. *b. t. cap. inter sollicitudines* 10. *de Purgat. Canon. l. absentem* 5. *in pr. ff. de Pæm.* Si tamen propriè velimus loqui, iudicium, ad miniculum, suspicio & Præsumptio non sunt vocabula, idem significantia: nam iudicium & ad miniculum est causa & radix, ex qua Præsumptio generatur. Eminentiss. Cardin. Cælestinus Sfondrati *p. 1. §. 1. n. 1. in Disp. de Lege in Præsumpt. fund. quam edidit in hac Universitate Anno 1681. Sum-*

3 spicio autem magis temeritas aut levitas, quam Præsumptio, nuncupari meretur per *cap. evis* 9. *S. nemo* 1. *q. 1. cap. ex inarum* 8. *de Purgat. Can. cap. significantibus* 2. *de Purgat. Vulg. cap. inquisitionis* 44. *de Sentent. excommunic.*

4 Definiri potèst dupliciter. I. cum P. Engel *b. t. num. 1.* quod sit rei dubie ex aliis positis desumpta probatio. Ubi ly *ex aliis positis* statuitur pro nota differentiali, quæ Præsumptio discernitur ab aliis probationibus, utpote quibus probandi vis immediatè & directè absque eo, quod aliud quidquam præsupponatur, competit. II. cum Zoëlio *ad ff. tit. de Probat. & Præsumpt. n. 11.* quem reipsà sequitur P. König *b. t. n. 3.* definiri potèst, quod sit conjectura, ex aliquo verosimili signo, ad probandum assumpta.

5 Dixi in posteriori definitione *l. conjectura*, 6 per quam intelligi opinionem, illationem, con-

conclusionem, aut iudicium probabile de negotio controverso.

7 Dixi II. *ex aliquo verosimili signo.* Debet itaque Præsumptionem antecedere signum aliquod vel indicium, ad instar præmissarum, antecedentium conclusionem; & signum illud vel indicium debet esse proportionatum ac verosimile: cæterogen Præsumptio degenerat in suspicionem, quæ levi quâdam vel omninò temerariè apprehensione nititur.

8 Dixi III. *ad probandum assumpta.* Ubi exprimitur vis & effectus Præsumptionis, quod scilicet ad Probationem ordinetur. Pro certo namque persuasum habeo, Præsumptionem, tamen in *tit. ff. de Probat. & Præsumption.* tantquam res à Probatione distincta, referri videatur, attamen inter species probationis ex merito referri: partim quia per Præsumptionem

Judici de re controversa fit fides: partim quia in *tit. tit. Præsumptio* Probationi non tantquam actus disparatus, sed tanquam species suo generi connectitur. Gonzalez *ad cit. cap. asserit* 2. *b. t. n. 11.*

9 Id verò vix quisquam inficias iverit, Præsumptionem à Fictione Juris totò, ut ajunt, casò diverfam esse. Nam Præsumptio non est solius Juris, sed, ut statim audiemus, sepe etiam Hominis est. Deinde Præsumptio id, quod verosimile est, ac verum esse potèst, pro vero reputat: Fictio autem manifestam falsitatem pro veritate assumit: veluti dum pater & filius pro una persona æstimantur; Clericus, studiorum causâ absens, præfens esse fingitur; legitimatus per subsequens matrimonium pro legitime nato consideratur. Sfondrati *d. l. §. 2. n. 4. P. Engel b. t. n. 4.*

§. II.

Quid sit Præsumptio Hominis?

11 Præsumptio alia est Hominis; alia Juris. Præsumptio Hominis est, quæ inducitur & inferitur ex prævisiis iudiciis à solo Homine, absque eo, quod specialiter notetur à Jure; veluti si Titium, quem strictò gladiò vides egredi è domo, in qua commissum est homicidium, homicidam: si Sempronium, quem solum eò tempore, quò furtum accidit, in cubiculo degisse scis, furem; si Mævium Berthæ, cum qua in eodem lecto inventus est, imprægnatorem esse, concludas.

12 Præsumptio ista subdividitur in probabilem, vehementem, & violentam. Probabilem dico, quæ eruitur ex argumentis probabilibus & prudentibus, ita tamen, ut oppositum iudicium æquè prudenter per se loquendò assumi possit. In exemplo. Juvenis videtur frequenter cum certa puella amorosè conversari; nascitur hinc præsumptio probabilis, quod illicitam amicitiam cum illa contraxerit: quamquam & æquè probabile sit, quod amicitia illa intra limites honestatis se contineat.

13 Præsumptionem Vehementem apello, quæ frequentius & vehementius aleram partem contradictionis importat; licet contrarium nonnunquam contingere soleat. E.g. Juvenis cum certa puella noctu plerumque, & in angulis secretis, agereprehenditur: nascitur exinde Præsumptio vehemens, quod, cum lucem fugiat, opera tenebrarum amet; et si reipsà hæc Præsumptio aliquando fallat.

14 Præsumptionem Violentam nomen, quæ alteram contradictionis partem tam evidenter ac certò involvit, ut de contrario prudenter nequeat dubitari. E.g. mas & femina in loco quodam per annum & diem tam arctè includuntur, ut nulli hominum pateat accessus:

si jam foemina in loco illo & tempore pariat, infantem, Præsumptio violenta confurgit, marem, quo cum inclusa tenebatur, parentem infantis esse. Aliud exemplum. Stant complures homines in foro; vident, quod Sempronius, quidam Titio infensus, per sepe minas & infidias struxerat, eundem Titium strictò gladiò insequatur usque ad ædes, de quibus certò constabat, quod nemo moeretur intus. Paulò post auditur ingens clamor; Sempronius ex ædibus eruentatò gladiò totus pallidus & conturbatus erumpit; Titius in ædibus solus, sub quo in sanguine natans, ac pluribus vulneribus in pectore sauciatus, reperitur mortuus. In tali casu Præsumptio tam violenta contra Sempronium, quod cædis Titianæ sit author, militat, ut aliud prudenter quis credere vel asserere, non audeat.

17 Scio, quod Haunold in *Jurisprud. Judic. tr. 16. n. 629.* dicat, adstructam divisionem in præfenti considerabilem non esse, quod ejus membra solum differant secundum magis & minus. Sed, sicut in Jure vel maximè considerabilis est divisio probationis in plenam & non-plenam, ac hujus subdivisio in semi-plenam, plusquam semi-plenam, & minusquam semi-plenam *ex cap. 3. n. 12.* sic profectò divisio Præsumptionis in probabilem, vehementem, & Violentam summo perè consideranda videtur: cum ex illa dependeat vis & virtus probationis, plenæ, vel non plenæ, ex Præsumptione resultantis. Si tamen ulla probatio, certè illa, quæ elicitur ex Præsumptione, à prudentis iudicis arbitrio gradum probabilitatis acquirit, ut graviter monet Card. de Luca *de Judic. disc. 33. n. 11. & seqq.*

§. III.

Quid sit Præsumptio Juris?

18 Præsumptio Juris est conjectura seu opinio, concepta à Judice ex iis circumstan-

tiis, quæ singulariter notantur, & exprimitur in Jure. Hæcque Præsumptio vel est Juris

19 Præsumptio *Juris & de Jure*. Præsumptio *Juris tantum* est, quando Jus aliqua indicia & argumta assumit, eaque tamdiu pro veris reputat, donec vel Adversarius ostendat contrarium, vel Præsumptio debilior per fortorem enervetur. Et ista Juris Præsumptio potest emittitur, sicut Hominis Præsumptio, esse probabilis, vehemens, & violenta; ac pro ea dignoscenda regulæ sequentes traduntur.

20 Reg. I. Qualitas, quæ naturaliter inest homini, rei, vel actui, semper inesse præsumitur. Sic in dubio quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus *cap. ult. h. t. l. merito § 1. in pr. ff. pro Socio*. Sic natus & educatus inter Christianos præsumitur baptizatus *cap. ult. de Presbyr. non baptiz.* Sic Lex præsumitur rationalis *arg. cap. erit autem 2. Dist. 4.* Sic fundus quilibet liber & allodialis præsumitur, donec servitus probetur *l. si in adibus 9. §. l. 2. §. Cod. de Servitut.* Sic in delictis præsumitur dolus *cap. sicut noxius 1. h. t. l. frater vesfer 1. Cod. ad l. Cornel. de Sicar. l. si non conviciis 5. Cod. de Injur.* Sic sumptus, in studia filii a patre erogati, donati præsumuntur *l. qua pater 50. ff. Famil. heredit.*

21 Reg. II. Status & voluntas hominis ac rei non præsumitur mutatus, sed stabilis permanere. Hinc, quæ semel ordinavit testator, mutasse non præsumitur *l. eum qui 22. ff. de Probat. ac, quibus legatis & fideicommissis oneravit hæredem institutum, iisdem substitutum onerare voluisse, præsumitur l. licet Imperator 74. ff. de Legat. 1.* Hinc, qui semel est bonus, semper præsumitur bonus *cap. mandata 6. h. t. & consequenter, qui continens erat*

in juventute, talis in senectute præsumitur *cap. cum in juventute 15. d. 1.* Hinc contra-rius semel malus, semper malus, in eodem genere mali, præsumitur *cap. semel malus 8. de R. J. in 6.* Hinc etiam, qui olim possedit, etiam-25 num, atque ex eodem titulo possidere præsumitur *arg. cap. olim inter 10. 17. de Resitut. spoliar.* Hinc demique præsumitur generaliter de statu præterito in futurum per *cap. scribam 9. h. t.*

Reg. III. Præsumptio tendit in meliorem partem, quando negotium, de quo agitur, est indifferens *cap. esse 2. de R. J.* Unde infans expositus in dubio judicari debet legitimus *arg. cap. ut de Infant. & languid. ex post. Natus ex uxore, cum qua stetit matrimonium, censetur legitimus, etsi constat, quod uxor in-terit alio cum viro peccaverit ex cap. 4. num. 66.* Possessor in dubio bonæ fide possessionem tenere creditur *l. penult. Cod. de Evict.* Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur *cap. præsumitur 47. de R. J. in 6.* Quilibet 27 voluntatem suam Legibus accommodare censetur *arg. cap. ad nostram 21. de Jurejur. cap. ex parte 13. de Cleric. non resid. cap. ult. de Eccles. adific.* Actus omnis sic interpretandus, ut magis valeat, quam non valeat *l. quous 12. ff. de Reb. dub.*

Reg. IV. Jura præsumunt id, quod crebrius & frequentius accidere consuevit *l. Jura consti-28 tuta 3. & plur. seqq. ff. de LL.* Exempla sparsim occurrunt; multaque circa hanc & priorum regulas eruditè congestit laudatus Sfondrati de *Lege in Præsumpt. fund. cit. p. 1. §. 1. n. 4.* Innumera serè Præsumptionis exempla & regulas exponit Pax Jordan. *lib. 14. tit. 2. à n. 27.*

§. IV.

Quid sit Præsumptio Juris & de Jure?

19 Præsumptio *Juris & de Jure* est, quando Jus ex gravibus & prægnantibus indicis aliquid inferat, ac pro veritate tam certè credit, ut nullam penitus in contrarium admittat probationem. Talis Præsumptio est I. in muliere, quæ, si pretiò acceptò fidejusserit, non tam ex animi levitate, quam cupiditate lucri, ad fidejussionem inducta præsumitur *l. antiqua 23. Cod. ad SCrum Velleian.* Talis est II. in muliere, metu ad matrimonium ineundum, compulsâ: hæc enim, si per annum & medium marito cohabitaverit, liberè consensum renou-31 vasse præsumitur *cap. ad id. 21. de Sponsal.* Talis est III. in sponso vel sponsa, qui post sponsalia de futuro, conditionatè contracta, carnaliter sunt commixti: præsumuntur enim à conditione recessisse, ac (Antiquò Decretalium Jure) Matrimonium de presenti contraxisse **22** *cap. is qui fidem 30. d. 1.* Talis est IV. in Judice, cujus sententia, postquam in rem judicata transiit, pro veritate habetur *l. res judicata*

207. ff. de R. J. Talis est V. in Religioso, qui, si intra quinquennium contra professionem suam non reclamaverit, præsumitur professionem, esto ex metu vel alio capite nulla fuerit, interea ratificasse, nec contrarium probare permittitur. Concil. Trid. *sess. 25. de Regular. cap. 19.*

Equidem de Jure non reperies ista vocabula, Præsumptio *Juris & de Jure*: quia tamen effectum & substantiam habes, quatenus, ut in allatis & aliis exemplis cernitur, datur in Jure Præsumptio, quæ probationem in contrarium non admittit: certè non debes hos terminos, seu Doctrinales seu Magistralis, indignabundò stomachò concoquere: sunt enim antiquissimi, & in schola ac foro per Theoreticos & Practicos sæpissime digesti, prout adverterunt Panormitan. in *cap. quanti 8. h. tit. num. 2.* Menochius de *Præsumpt. lib. 1. quæst. 3. à num. 20.* P. Engel *h. t. n. 10.* Haenold. *d. r. 4. n. 632.*



SECTIO II.

De Effectu Præsumptionis.

SUMMARIA.

36 Præsumptio Hominis & probabilis facit semi-plenam probationem. **36.** Conjuncta alteri semi-plena potest efficere plenam. **37.** Nisi causa sint criminales, vel civiles ardua. **38.** Præsumptio vehemens plerumque semi-plene probat. **39.** In criminalibus non sufficit ad ferendam sententiam. **40.** Ratio datur. **41.** Præsumptio violenta potest ad condemnationem in criminalibus sufficere. **42.** & seqq. Textus ex Jure Canonico. **43.** & seqq. Textus ex Jure Civili. **48.** Ratio. **49.** Confirmatio. **50.** Præcisio. **51.** Fit objectio. **52.** Subjungitur responsio. **53.** Corollarium. **54.** Præsumptio Juris pro veritate.

Quid operetur Præsumptio Hominis?

35 Præsumptionis effectus principalis est probatio; eaque vel plena, vel minus plena, pro illius diversitate. Sic enim, si Præsumptio sit *Hominis*, eaque verè probabilis, semi-plenam probationem facit per *cap. inquisitioni 44. de Sent. excommunicat.* ubi mulier ex Præsumptione seu *credulitate probabilis* de intercedente impedimento Matrimonii jubetur à petendo conjugali debito abstinere. Cui si accedat juramentum, unus testis omni exceptione major, vel alia probatio semi-plena, integratur probatio, & quandoque sufficit ad ferendam sententiam per *cap. veris loco 13. h. t.*

37 P. W. iestner *h. t. n. 9.* Quandoque tamen minus quam semi-plene probat, præsertim in causis criminalibus & civilibus arduis; tuncque locum tribuit juramento purgatorio per *cap. ult. §. sancto de Jurejur. cap. si quis 4. de Purgat. Canon.*

38 Si Præsumptio sit *vehemens*, ea plerumque facit probationem plusquam semi-plenam; & nonnunquam in civilibus ad ferendam sententiam sufficit, ut constat ex Salomonis exemplo, in *cap. averse 2. h. t.* relatò, qui ex sola Præsumptione vehementi quaestionem maritalitatis pro illa fœmina, quæ noluit in divionem infantis consentire, decidit. Panormit. in *cit. cap. num. 5.* Menoch. de *Præsumpt.*

39 lib. 1. q. 33. n. 10. In criminalibus verò non sufficit ad condemnationem tum per textum in *cap. literas vestras 14. h. t.* ibi: *propter solam suspicionem* (verius Præsumptionem) *quamvis vehementem, nolumus illum de tam gravi crimine condemnare &c.* tum per textum in *cap. inter sollicitudines 10. de Purgat. Canon.* ubi propter vehementem suspicionem (melius Præsumptionem) indicitur purgatio Canonica: tum per textum in *l. absentem 5. in pr. ff. de Penit.* ubi dicitur: *nec de suspicionibus debere aliquem condemnari.* Ratio est: quia ex Præsumptione, quamvis vehementi, non oritur certitudo moralis de admisso delicto. Ergo non potest statui certa poena. Ut enim statuat R. SCHMIEB JURISPR. CAN. CIV. TOM. II.

postquam probabilibus confiteris argumentis, aliquem scelus tam execrabile commississe, nullatenus alia excommunicationis vel depositionis seu dissidationis adversus eum sententia requiratur.

45 Textus ex Jure Civili peræque concludentes sunt I. in l. m. Cod. de Probat. ubi, dom Imperator precipit, ut accusatores deferant tales causas ad Judicium criminale, quæ munia sunt idoneis testibus, vel instructa aperitissimis documentis, vel indicis ad probationem indubitanis, & luce clarioribus expedita; ex consequenti insinuat, indicia indubitata, & luce clariora, seu (qui genuinus & proprius sensus est hujus locutionis tropologica) moralem certitudinem facientia, ad condemnationem in criminalibus

46 sufficere. II. in l. si quis 34. Cod. ad l. Ful. de Adulter. ubi constituitur, Præsumptionem violentam in crimine adulterii, deductam ex eo, quod, qui antea objectum scelus adulterii prætextu necessitudinis defendere volebat, postea cum persona illa matrimonium contraxerit, tam manifeste fide & indubitanis indicia subnixam esse, ut adulterium eodem modo vindicari possit, quod modo vindicaretur, si reus crimen confesser, aut alias de ipso convictus fuisset; consequenter poenâ ordinariâ coerceri.

47 III. in Nov. 117. cap. 5. & inde transumpta Authent. si quis et Cod. d. i. ubi exprimitur, eum de adulterio non minus quam convictum haberi, qui à marito tertiâ vice per scripturam, trium fide dignorum virorum testimonio confirmatam, admonitus, cum uxore suspectam conversationem & familiaritatem prosequitur.

48 Ratio fringens est: quia ad hoc, ut aliquis in criminalibus possit ad poenam ordinariâ condemnari, requiritur aliqua certitudo de crimine perpetrato. Ergo vel est metaphysica, vel physica, vel moralis. Atqui certitudo metaphysica, cum supponat necessariam connexionem prædicatorum essentialium cum subiecto, in rebus moralibus, contingebit, & fallentibus, haberi non potest; neque etiam certitudo physica, quæ desumitur ab experientia sensuum, tam facile apud Judicem, qui plerumque delictum non est præsens, aut si præsensset, falli nihilominus posset, reperiri valet. Ergo sufficit certitudo moralis ac tanta, ut de criminis admissione prudenter

non liceat dubitare. Atqui Præsumptiones violentæ pariunt moralem certitudinem, ac tantam, ut de criminis admissione prudenter dubitare non liceat. Ergo &c. Confir-

49 matur: qui confessus, aut tribus, quatuor, vel quinque &c. testibus est de crimine convictus, potest ordinariò supplicio puniri secundum omnes cap. nos in quemquam 1. II. q. 1. de his 5. Cod. de Custod. reor. l. qui sententiam 16. Cod. de Pen. Sed neque confessio, neque depositio testium, facit aliam certitudinem, quam moralem: accidere namque potest, & interdum solet, ut confessio sit elicta ex metu; depositio testium verò corrupta sit & subornata. Ergo moralis certitudo potest efficere, ut ordinariò supplicio quis puniatur. Ergo etiam Præsumptiones violentæ. Atque

50 hanc sententiam, Referente Clarissimo Juris Publici & Codicis Professore, D. Francisco Ignatio de Wolleren, probavit nostra Facultas, dum annò 1707. die 9. Februarii in causâ Canonizationis P. Fidelis Sigmaringani, Viri Religiosissimi ex Ordine Capucinorum, consultâ, respondit, contra interfectores ejusdem Venerabilis Patris ex solis Præsumptionibus violentis, quæ aderant, ad poenam ordinariâ mortis procedi posse vel potuisse.

51 Patroni contrariæ sententiæ, è quibus alii qui cum Fachinæo lib. 1. consvoerf. cap. 19. negant absolutè, poenam ultimi supplicii propter Præsumptiones dictari posse; alii cum Zoëf. ad tit. ff. de Probat. & Præsumpt. n. 12. volunt, poenam arbitrariâ & mitiore ordinari in simili debere, præter varios textus, quos in n. 39. retuli, & pro Præsumptionibus non-violentis, sed vehementibus tantum, applicari: obijciunt illud commune ex d. cap. nos in quemquam 1. II. q. 1. quod Reus aut convictus aut ipote confessus esse; aut alias absolvi debeat ex Lib. sentem 5. in pr. ff. de Pen. cum satis sit, nocentem absolvere, quam innocentem condemnare. Sed respondetur, Reum, Præsumptionibus violentis oneratum, non minus quam per testes aut propriam confessionem convictum esse: quippe eum prudenter negare non possit, id scilicet se commissurum esse, pro cuius commissione stat certitudo moralis.

§. II.

Quid operetur Præsumptio Juris?

52 Præsumptio Juris id peculiare habet, quod onus probandi transferat in adversarium, & si probare non poterit adversarius, pro veritate perinde reputatur, ac si plenè fuisset probatum per textum in cap. cum olim 18. de Prescript. cap. cum contingat 29. de Decim. cap. cum delictus 8. de Religios. dom. cap. ult. de Restitut. Spolia. in 6. l. verius 21. ff. l. siue possideris 16. Cod. 54 de Probat. Sic etiam sæpius tenuit Rota Rom. in recent. p. 9. decis. 175. n. 47. tom. 1. p. 15. decis. 161. n. 15. & 20. p. 16. decis. 411. n. 37. p. 18. decis. 15. n. 8. tom. 1. p. 19. decis. 5. n. 55. 13. & decis. 211. num. 37. & 38. Sic etiam

53 nostra Facultas die 11. Augusti 1708. me Referente conclusit, possessorem immobilium ex sola Præsumptione, citra præscriptionem, in sua possessione relinquere posse & debere, quàm diu ex adverso mala fides & injustitia possessionis concludenter non probatur.

54 Quia verò quandoque plures Præsumptiones Juris concurrunt, illicque, sicut Præsumptiones Hominis, suos gradus quoad probabilitatem obtinent, ea quæ fortior & vehementer est alterâ, prævalet per cap. transmissa 3. in fin. Qui filii sunt legit. l. Divus 7. in pr. ff. de integ. Restit. Cum enim in foro humano, ubi de 57 veri-

55 veritate per evidentiam metaphysicam nunquam; per evidentiam physicam non adeo frequenter constare potest, jus cuiusque, ex Præsumptione mensuretur: tanto fortius quisque jus habere censetur, quânto fortiori Præsumptione munitur. Card. Sfondrati cit. diff. de Lega in Præsumpt. fund. p. 1. §. 7. n. 2.

56 Censetur autem fortior esse Præsumptio I. quæ stat pro valore actus l. quoties 12. ff. de Reb. dob. II. Quæ magis accedit Juri Communi l. si miles 7. ff. de Injusto ruptio &c. III. Quæ benignior & favorabilior est arg. l. filium cum 6. ff. de his qui sui vel alieni &c. l. semper 56. ff. de R. J. IV. Quæ favet Reo l. favorabiliores 125. ff. eod. V. Quæ caret peccato cap. ult. h. s. cap. effors 2. X. de R. J. VI. Quæ magis in ratio-

ne & æquitate naturali fundatur per l. placuit 8. Cod. de Judic. VII. Quæ desumitur à possessione cap. in pari 67. de R. J. in 6. VIII. Quæ specialis potius quam generalis est arg. l. item apud Laboneum 5. §. 26. ff. de Injur. Menoch. de Præsumpt. lib. 1. q. 29. Sfondrati cit. §. 7. n. 2. Haunold cit. tr. 4. n. 634. Wiestner b. 1. n. 28.

Planè si Lex aliqua certæ rei, qualitatibus, aut circumstantiis probationem exigat, Præsumptio sola non videtur ab onere probandi quempiam relevare. Rota Rom. in rec. p. 5. dec. 202. n. 4. Potest tamen ex Præsumptionibus conjunctis probatio vera confici, quæ ex num. 48. sufficit ad ferendam sententiam. Card. de Luca de Judic. disc. 33. n. 16.

§. III.

Quid operetur Præsumptio Juris & de Jure?

56 Præsumptio Juris & de Jure plenissimè probat, exclusâ in contrarium probatione cap. inter 20. de Sent. & re judic. cap. ad id 21. cap. is qui fidem 30. de Sponsal. l. ingenuum 25. ff. de S. H. l. sub specie 4. l. ult. Cod. de Re judic.

57 Cujus ratio nem dat prælaudatus Sfondrati d. p. 1. §. 1. n. 2. quia hæc Præsumptio, ex Juris dispositione, est elevata ad supremum genus probationis: cum interit Republica, ob publicam quietem lites finiri: potuit verò jus hoc disponere, cum omnes probationes, exceptâ rei evidentiâ, nantur Præsumptione Juris, & ab ea robur accipiant. Neque enim suo testes, vel Instrumentum publicum, plenè veritatem probarent, nisi Jus ita statueret: eum etiam hinc possit subesse, & frequenter subit fallitas.

58 Limitatur hæc assertio I. ut intelligatur de probatione in contrarium directâ: nam probatio indirecta, quâ probare quis intendit, Præsumptionem non rectè qualificatam esse, ostendendò v. g. metum, quò quis ad Matrimonium contrahendum vel professionem. Religiosam est inductus, etiam post matrimonium & professionem durasse, non excluditur: nec eo casu vel cap. ad id 21. de Sponsal. vel Trid. Concil. sess. 25. de Regul. cap. 19. obstat, huò minus à Matrimonio post annum & medium, vel à statu Religioso post annum quintum, reslire liceat.

59 Limitatur II. ut Præsumptio Juris & de Jure collatur per confessionem judicalem illius, in cuius favorem inclinat: ea etenim, quæ quis contra seipsum in Judicio confessus est, non tantum præsumptivè verâ, sed ipsa veritas esse censetur; eoque sensu propria confessio dicitur esse optima probatio. Sfondrati cit. l. §. 2. n. 3. Quod, an etiam de confessione extrajudiciali, vim plenæ proba-

tionis habente, dicendum sit? In ambiguo hæret; pro negativa stantibus Maicard de Probat. in proem. q. 10. n. 52. Zoëf. ad tit. ff. de Probat. & Præsumpt. num. 17. Wiestner b. 1. num. 38. pro affirmativa pugnantibus Menochio lib. 1. de Præsumpt. q. 61. n. 12. Haunold cit. tr. 4. n. 640. Quibus ultimis eò libens

60 tius adspicimus, quòd etiam extrajudicialis confessio, vim plenè probandi continens, ipsam veritatem includere videtur ex cap. 4. num. 84.

61 Limitatur III. ut probatio per evidentiam facti, quæ habetur ex inspectione oculari, ex dicendis in cap. seg. sess. 2: nunquam sublata credatur: quando enim veritas evidenter patet, non recurritur ad Præsumptionem. Menoch. d. l. 1. q. 67. n. 1. Pirhing b. 1. n. 11. Reiffenstuel num. 57.

62 Limitatur comunissimè IV. ut Præsumptio Juris & de Jure per instrumentum publicum, aut depositionem quinque, ac secundum aliquos, duorum etiam testium infringatur, arg. l. generaliter 13. Cod. de N. N. P. l. vestrum 18. Cod. de Testib. Menoch. d. l. q. 63. n. 1. Sed dubites, an ista limitatio Juri Communi, saltem Canonico, conveniat? Nam in cap. 68. ad id 21. de Sponsal. testes, quos mulier ad probandum metum, post cohabitationem, per annum & medium continuatam, nominavit producendos, non admittuntur: eum, ex mente Pontificis, hujusmodi probationem excludat. Deinde in cap. is qui fidem 30. eod. ge. 69. neraliter dicitur, quòd contra Præsumptionem hujusmodi non est probatio admittenda: adeoque nec probatio per testes aut instrumenta: neque enim, prohibita probatione, potest prudenter alia intelligi, quam ordinaria, quæ per testes aut instrumenta conficitur.